

# TUNDERA.



Vndera Opidum est elegans situm in ea parte ducatus Slesuicensis, quam Frislandiam minorem appellant in loco fertili, tam agris quã, pascuis. Vsurpandi iuris Lubecani facultatē, ab Abelō Duce Zudlandiæ, quem postea sibi Regem Daniæ faciuerunt, Ciuibus Tunderensibus Reinhardus Minorita impetrauit, Anno à nato Christo 1243. Lubecensis senatus, vt sui iuris copiã faceret, quod Imperator Fridericus 2. ipsi confirmauerat, per literas rogatus, illius descriptionē mandauit: Henrico Brunscencensi, qui à secretis ipsi fuit: attulit idem codicē, in quo ius municipalem perscripsit, anno eodem, qui supra expressus est 1243. Mense Maio. Eius rei testimonium extat, in eodem illo Tunderensium codice. Frequentes navigationes istuc institutę celebritatē opido conciliarūt. Arguunt navigationum oportunitatē insignia: quorū vicem præstat nauis. Effuderunt se marini fluctus, horrida tempestate commoti, ad Ecclesiã opidi primariã vsq; altitudine pedum duorum & semis Anno Christi 1532. Proditum hoc est memoriã, incisis passim murorum in parietes Crucibus.

Nunc vero iactis obicibus circumquaq; spacio aliquot mille iugerum, araila, contra iniurias effervescentis & sæuientis oceani occidentalis munita est. Ac nostra quidē ætate 1555. 18. Iunij moles cataractam habens, firmata est, & mari opposita: ac producta illa ab Hoier ad Cohart vsq;

Non multo post nempe Anno 1564. Illustris Princeps Ioannes Senior molem aliam iuncta cataracta constituit, quæ à Rotebul ad Vidingart vsq; porrigitur. Hinc euenit, vt nisi interuallo magni miliarij naues ad opidum iam appellere non possint. Tempore autumni & veris trajicere duas cataractas possunt Liburnicæ & scaphæ eaq; applicare ad arcem, quæ opido vicina probè munita, & ducis Adolphi laudatissimæ memoriæ, hæredum est. Peruagata habet fama, Anglos hoc in loco naues conscendisse, qui in Angliam sic modo appellatam trajicientes, ibiq; confidentes Britannicæ antiquitus nuncupatæ, nomen mutarunt. Nam non longè remotum est opidum ab eo loco, qui etiã nunc nomen Anglorum obtinet: Distat Tundera Flensburgo miliaribus quatuor: Slesuiga octo: Hælio sex: Lundo Dithmarsarum octo.

Ex Archiuo opidi Tunderensis antiquum est mihi communicatum priuilegium, cuius hic initio memini, sub tali verborum forma. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Anno dominicæ incarnationis 1243. Regnante Sereniss. D. nostro Friderico secundo semper Augusto, Ierusalem, & Sicilię Rege, conscribi fecerunt consules ciuitatis Lubecensis ciuitati Tunderensi. ob honorem & dilectionem Domini Abel. Illustris Ducis luticę, & ad instantiam ac petitionem fratris Reinardi, Ordinis Fratrum Minorum Dacię ministri & etiam pro dilectione ciuium de Tundera Iustitiam ciuitati Lubecensi a Glorioso fundatore dictæ Ciuitatis pię memoriæ Domino Henrico nobiliduce Sueuiæ, Buaricæ, Saxonicæ, Angariæ. & Nordalbingiæ indultam & priuilegiatam. Postmodum verò, à gloriosissimo Romanorum Imperatore Friderico primo confirmatam & suo stabilitam priuilegio, deinde à Regibus, Principib. & Dominis approbatam & roboratam, Nunc autem à Sereniss. D. nostro Romanorum Imperatore Friderico II. Ierusalem & Sicilię Rege, qui nunc regnat, priuilegiatam, stabilitam atq; confirmatam per omnia Ciuitati Lubecensi sigillo aureo perenniter confirmatã. omnib. igitur hanc iustitiã seruare uolentibus, gaudiũ sit & pax in D. N. Iesu Christo, qui est benedictus in secula seculorū, Amen.

## In Urbem Tunderensem Epigramma.

*Exiguo quamuis spatio compressa sit Orbis  
Non tamen omnino Tundera laude caret.  
Nam pulchre structas hæc in se continet ades,  
Annua cultori datque alimenta suo.  
Fertilis hic primum seges est in pinguibus aruis  
Præterq; graminiibus luxuriare solent.  
Huc simul Hesperium sua brachia porrigit æquor  
Ex cursu portum constituitq; suo.*

*Per quem nauiculis merces portantibus itur  
Vt mercaturam cuius habere queat.  
Manibus hinc Anglus non raro, Belgæ, Scotiq;  
Ac varijs portum mercibus ingreditur,  
Effigies igitur tua sunt insignia nauis:  
Hæc vii veteri Tundera more soles.  
Arx Ducis est muris, vallo circumdata fossa  
Vndique vicinis ædificata locis.*

*Nobilium quoq; finitimæ paulumq; remotæ  
Sunt arces aliquot Tundera pulchra tibi.  
Nec secunda tuis à finibus ora recessit  
Longius, à prisca Angli dicta uiris  
Credetur, hinc Anglos olim migrasse: suumque  
Mutasse solum: qua ratione, latet  
Hæc sunt, quæ merito nunc commendabitur: esse  
Versibus in paucis Tundera parua potest.*

## OITINUM.



Oitinum Opidum vna cum arce, quæ modo Episcoporum Lubecensium primaria sedes, ab Adolpho II. Comite Holsatiæ V Vagrię, Stormarię & Gehouvenburgensium, extructum est, à quo etiam insignia, & ius municipale accepit Episcopatus autem Oldenburgensis qui nunc ad Lubecenses translatus est ab Ottone I. Imperatore fundatus est Anno Domini 952. qui constituit ibi Marconem I. Episcopum.

Hanc arcem dictus Adolphus II. vna cū trecentis mansis (300 Morgen lande) ac postulatione Henrici Leonis, Episcopati Oldenburgensi circa annum D. 1159. attribuit, cum idem se facturum antea Vicelino Episcopo Oldenburgensi promississet. Hac ratione Arx illa sedes Episcoporum Oldenburgensium, & deinde post translationem, Lubecensium facta est.

Mortuo Friderico I. Rege Daniæ, Lubecenses nullo indicto bello Holsatiam inuadentes Tritouiam & hanc arcem vna cum opidulo expugnarunt, sed postmodum auspicijs Christierni Holsatiæ Ducis à Ioanne Ranzouio Equite aurato & nobilibus Holsaticis recuperata sunt, Lubecensibus in fugam conuersis & cesis. Arx autem hæc à Christiano III. Rege Daniæ certis conditionibus Episcopo Lubecensi & Canonicis restituta est.

Memorable est, quod olim circa Oitinum accidisse, Annalibus Cœnobij Arensbock proditur, nimirū, Nobilem quendam virum insigniter improbum, & cui in delicijs crudelitas erat, non longè ab hoc opido duobus circiter miliaribus habitasse, tantaq; immanitate præditum, vt vndecim homines propria manu interneconi dederit, seq; diris deuouisse ni adhuc vnum, quo numerum duodecim impleter interfecisset. Hic cum ex opido Oitino eques domum se conferret, mero æstuans, rusticum obuiantem occidere conatus spumans sic effatus est: Oportune ades, duoderus enim eris quem perimam. Rusticus icum declinans, saxum adiacens transiit, per quod illum insequens, excussus equo, ceruicem fregit, & pœnas facinoribus dignas luit. Vnde etiam nunc vngularum equi vestigia in eo saxo conspiciuntur Diuinæ vltionis exemplum haud vulgare, quo commonesceti latrones non inultum se laturos sibi periuadeant, si alteri suauissimam hanc lucis vsuram quæ inæstimabilis est naturæ immemores crudeliter præscindant.

## In arcem Oitinsensem Epigramma.

*Arx Oitimensis clara est, primaria sedes  
Que Lubecensis præsulis esse solet.  
Inclitus Holsatia Comes hanc construxit Adolphus  
Qui quondam istius nominis alter erat.  
Idem etiam paruam iuxta arcem condidit urbem  
Atq; huic ius proprium municipale dedit.*

*Cum contra Holsatos bellum Lubeca moueret  
Arx per vim subito milite capta fuit.  
At Rex Christianus, qui danica sceptrâ tenebat  
Subiectam hanc alijs noluit esse dici  
Inq; fugam rursus peregrinum depulit hostem  
Iam Ranzouij dum fuit vsus ope.*